Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 495
Quelle:
Copyright:

ma et postrema Tractatuum verba referuntur, sequitur *Vita* sancti Pugilis ab ejus Diacono *Pontio* scripta, uti etiam in Editionibus praecedere solet; tum Testimonia *Hieronymi*, *Augustini* et *Lactantii*. Non sine mendis haec; denique brevis *Cypriani* Vita hoc initio: *Ciprianus carthaginensis archiepiscopus martir et doctor precipuus sacrarum et gentilium literarum studijs eruditissimus, scientia quoque et religione insignis* &c. cum enumeratione Operum ad modum *Tritbemii*, quam in nulla veterum Editionum vidi. Opera porro bipertita sunt. Initium fit a Tractatibus. Nullus hic deest, nisi *de Mortalitate*, et *de Spectaculis*. E spuriis adest ille *de duodecim Abusivis Seculi*, et ita quidem, ut *fol.* 34. intercipiat Librum III. *Testimoniorum adversus Judaeos*, recte fortasse; nam *Cyprianus* ipse in Praef. *ad Quirinum* non nisi *duos Libellos* se complexum ait, et materia tertii penitus abludit a duobus prioribus. Itaque Librarius noster in Elencho singularem illum *Librum* constituit, et inscribit *de Capitulis Mandatorum Dei in scriptura sacra contentis*. Adsunt praeterea Tractatus *de Judaica Incredulitate ad Vigilium*, et *adversus Judaeos, qui insecuti sunt D. N. J. Christum*, quos omnes habes ad calcem Edit. *Baluzianae Venet.* 1728. f. Pars altera continet *Epistolas* LXXVI. senis igitur pauciores, quam *cit.* Editio. Has inter Epistola *ad Magnum* nobis XVI. *fol.* 194. Edit. LXXVI. *col.* 315. in duas divisa est ita, ut priori parti etiam Formula: *Opto te frater semper bene ualere et nostri meminisse*, adscripta sit; qua de re vide *Notam* 32. Edit. Ceterum *Frater* pro *Fili* Scribae σφαλμα est; *Magnus* enim tantum Presbyter fuit. Eodem modo erravit Epistolam nobis XV. *fol.* 191. Edit. LXXIV. *col.* 293. *Pomponio* inscribendo pro *Pompejo*. Epistola nobis XXXII. *fol.* 213. Edit. LXXIX. *col.* 333. non est *Cypriani* ad *Lucium*, sed e converso. Epistola nobis LXVIII. *fol.* 258. Edit. XXVIII. col. 91. errore ridiculo pro *Gajo Diddensi presbytero* habet *Gaclodiensi*, item *presbiteris et diaconibus gaclodi consistentibus*, et in ipsa Rubrica *ad clerum et plebem gaclodiensem*. Ego saltem Oppidum *Africae Gaclodum* in Geographis non reperi. Epistola nobis LXXIII. *fol.* 261. Rubricam praefert: *Celerini episcopi ad lucianum episcopum de cura pastorali et de idolatria fugienda*. In Edit. II. *col.* 25. *Cleri Rom. ad clerum Carthaginiensem* dicitur. Epistolas excipit *Cena siue Conuiuium* falso *Cypriano* adscriptum, *Carmen de Cruce: Est locus ex omni* &c. quod *Victorini Pictaviensis*, aut *Petabionensis* est, et *Oratio: Domine sancte pater agios* &c. quae omnia in Appendice Edit. *cit.* leguntur. Textus Codicis sic satis correctus est, vixque offert, quod jam non a *Pamelio*, *Fello*, *Baluzio* notatum fuisset.

CCLXXV.